

idus februarii securi percussitur, et geminata martyrii, atque virginitatis corona, nobile certamen exegit. Cujus anima ad instar columbæ è corpore egrediens cælum à multis visa est ascendere. Corpus verò à Christianis honorificè extra Barcinonis urbis mœnia sepelitur.

*R.* Afferentur.

*In ij. Noct. Homilia in Evang.,* Simile erit regnum cælorum, de Communi.

*In Quadrag. ix. Lectio, et Comm. Peritè in Laud.*

**DIE XIV. FEBRUARII.**  
*In Festo beati Joannis Baptistæ à Conceptione, Confessoris.*

*Duplex.*

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter sequentia.*

*Oratio.*

**D**eus, qui ad majorem sanctissimæ Trinitatis gloriam propagandam, beatum Joannem Baptistam Confessorem tuum admirabili spiritus fortitudine, et invicta patientia roborasti: concede nobis famulis tuis, ut ejus imitationi jugiter inhærentes, gloriam assumamus æternam. Per Dominum.

*In j. Nocturno, Lect. de Scriptura occurr.*

*In secundo Nocturno.*

*Lectio iv.*

**J**OANNES Baptista à Conceptione in oppido Almodovar Toletanæ Diocesis in Hispania, Marco et Elisabetha genere et religione illustribus parentibus natus, ab ipsa penè infantia non æquivoca eximie pietatis et sanctitatis indicia præbuit. Vix sexennis, poenitentia cupidus, aspero lectulo, cilicio, flagellis corpusculum suum cepit affligere. Qualis futurus esset iste puer, semel et iterum sancta Teresia ejus genitoribus prænuñtiavit, ipsum vaticinando religiosæ familie reformatorem, et sanctum. Adolescens in omnium virtutum exercitio magis proficiens. Sacramentorum frequentia, ac jugi orationis studio, aliis erat exemplo. Abdita interdum quærebat ut liberius precibus et contemplationi vacaret. Abstinencia fuit admirabili, cibumque sibi subtrahebat, ut famelicos aleret: talique ferebatur misericordia in pauperes, ut quo ipsi licebat modo, iisdem opitaretur. Toletum missus, ut sacris studiis incumberet, nihil de consueta vitæ ratione remisit: et castitatem, quam novennis antè beatissimæ Virginis aram venerat, inter pericula et

insidias illibatam servavit. A Deo, majora de eo disponente, vocatus, sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordinem ingredi postulavit: votique compos factus fuit.

*Æ. Honestum fecit.*

*Lectio v.*

**A**d tirocinium admissus, singulari spiritus fervore illud explevit: seque Instituto quod selexerat, solemnè emissa professione, perpetuò dedicavit. Beatum Simonem de Roxas moderatorem nactus, sub ejus disciplina sacra Theologiæ cursum confecit: interea perfectionis studio, ac regulari observantia vel ipsis provecioribus preiit. Sacerdotio initiatus, ad animarum lucra se totum convertit: quo in munere tantum præstitit, ut nedum peccatores plurimos perditasque mulieres in viam salutis revocaverit: sed et infideles etiam Christo lucrifecerit. Severiorem observantiam vehementer exoptans, primævam sui Ordinis regulam, et protoparentum Joannis et Felicis institutum instaurare, ac restituere sibi proposuit: suosque fratres eodem spiritu informare satagit. Romam idcirco se contulit, ut Apostolica auctoritate munitus, meditatum opus

aggrederetur. Incredibile autem dictu est, quot sustinere labores, quot deberit obstacula superare, ut quod sibi proposuerat, perficere posset. Id tandem obtinuit, et à summo Pontifice Clemente Octavo Reformationis indultum et apostolicas litteras impetravit.

*Æ. Amavit eum.*

*Lectio vj.*

**I**n Hispaniam reversus, aliquibus sibi adjunctis sociis, primævam regulæ observantiam, ac rigidioris discipline rationem in cenobio Vallis Lupium instituit: eo sanè successu, ut priscorum patrum spiritus revixisse videretur. Plura tamen diù multumque tanto in opere promovendo perpeti debuit, cum invidus humani generis hostis et suum exerceret odium, et ad injiciendum moras, et venerabilis viri frangendam constantiam, homines etiam in eum concitaverit: quorum persecutiones, ludibria, contumelias, calumnias, Deum pro detractoribus exorandum, patientissimè toleravit. Interæ gravibus licet et diuturnis morbis vexatus, animo minime concidit: sed uni Deo fidens, cujus gloriam promovere studebat, decem et octo cenobia virorum, et unum mulierum in sum-

ma paupertate, et rigidissima observantia fundavit. Tandem non tam annis, quam laboribus, æramisque confectus, lethalem in morbum incidit, et ad mortis nuntium exclamavit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Ecclesiæ sacramentis devotissimè susceptis, coniectis in Christum crucifixum oculis, suis illacrymantibus fratribus benedicens, regularem observantiam, et opus Redemptionis commendans, qua prædixerat hora, placidissimè in Domino quievit decimo sexto

kalendas Martias anno millesimo sexcentesimo decimo tertio, ætatis suæ quinquagesimo secundo. Ejus corpus Cordubæ in collegio sui Ordinis honorificè conditum est. Ipsum verò prodigiis tam ante quam post obitum clarum, Pius Septimus Pontifex Maximus sexto kalendas Octobris anno millesimo octingentesimo decimo nono Beatorum fasis adscripsit.

† Iste homo.  
Lectiones iij. Nocturni.  
de Comm. ij. loco.

**DIE XXV. FEBRUARII.**  
In Festo B. Sebastiani ab  
Apparitu, Confessoris.  
Duplex.

Omnia de Communi

Confessoris, non Pontifex præter sequentia.  
Oratio.

**D**eus, qui beatum Sebastianum Confessorem tuum in simplicitate cordis ambulare fecisti, ac celestibus donis cumulasti: concede propitius, ut ejus intercessione, et puris mentibus tibi servire, et gratiæ tuæ munera consequi valeamus. Per Dominum.

In j. Noct. Lectiones de Script. occur., in Quadrag. Beatus vir, de Communi ij. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

**S**EBASTIANUS Gudinae Galliciæ oppidi diocesis Aurisientis ex honesta stirpe in Hispania ortum habuit. Ab infantia piè educatus, ac puer ascendens gregibus deditus nihil puerile gessit in opere, statimque apparuit, eum ad magnum aliquid portendendum peculiari Dei providentia fuisse præservatum; nam, ut constanti fertur fama, cum duodennis ex lue contagiosa lethali ter decumberet, et solus in semidiruto tugurio esset derelictus, morsu lupi è nemore erumpentis, qui leniter tumorem perripuit, pusque virulentum planè absternit, à matre illuc redeunte mirabiliter repertus,

fuit sanatus. Pueritia domi probè transacta, adolescens è paterno solo egressus, Salmanticam secessit, ibique alieno servitio mancipatur: tum rei agraria alibi addictus, ut parentum inopiam sublevaret, varia hinc inde expertus est discrimina, in insue ter mulieres ejus virginitati insidiantes, invictè rejecisse perhibetur. Hisce verò periculis valdè commotus, in novam Hispaniam, quò evangelica fides nuper fuerat innecta, proficisci in animum sibi induxit, navimque conscendens cum aliis sociis, quorum convicia æquanimitè in itinere tulit, prospera tandem navigatione confecta, primò Angelopolim, deinde Mexicum appulit. Tu autem.

† Honestum fecit.

Lectio v.

**E**GREGIE charitatis ejus in proximum illic cepit Mexici præbere argumenta. Cum enim ibi novo officio construendi plaustra, arduoque labori aperiendi vias rectas per inpervias sylvas, præsertim eam, quæ è Mexico ducit ad Zacathecam, totum se daret, pingues opes, quas inde sibi comparabat, in viduis, et orphanis alendis, honestis puellis dotandis, aliisque hujus generis misericor-

dix operibus impendebat. Quocirca hominem multo are alieno gravatum, atque ad eò à licitoribus captum, toto debito generose soluto, è vestigio ab eorum manibus liberavit. Hinc tantam virtutis opinionem adeptus fuit: ut etiam ab Indis, ingentia ferocitate deposita, obsequium sibi, et famulatum præstari mereretur. Nuptias, quas olim modestè abnuerat, postmodum inire decrevit. Itaque his matrimonium cum honestis virginibus contraxit, quas tamen isdem consentientibus intactas reliquit. Quare dæmon variis modis eum est aggressus: nunc fœda spectra ferocis tauri, trucisque Mauri ei obijcens: nunc venustæ mulieris impudicè gestientis formam induens: sed vir Dei signo crucis cuncta hostis molimina vicit. Postrema conjuge defuncta, ordine Seraphico adscribi petiit, ac monialibus sanctæ Claræ, cunctis opibus jam relictis, voti sui compos jam septuagenarius in statu laici efflci meruit. Tu autem.

† Amavit eum.

Lectio vi.

**S**OLEMNIUS votis nuncupatis, in omni virtutum genere mirificè enituit. Summa ei inerat simplicitas, animi candor,

mansuetudo, obedientia, rem. Virtutibus denique, et miraculis clarus à Pio Sexto Pontifice maximo, in beatorum cœtum solemniter est relatus. Tu autem.

\*. Iste homo.

In *iii. Nocturno, Homilia in Euang. Sint Iurabi, de Communi.*

DIE I. MARTII.

In *Festo sancti Rudesindi, episcopi et Confessoris.*

Duplex.

*Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.*

Oratio.

**P**ROFITARE, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per sancti Confessoris tui atque Pontificis Rudesindi merita gloriosa: ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum.

In *j. Nocturno, in civitate, et diocesi Mindoniensi Lectiones, Fidelis sermo, de Communi. Extra Mindoniensem, de Scriptura occurrente, extra Quadragesimam.*

In *secundo Nocturno.*

Lectio *iv.*

**R**UDESINDUS natione Gallicus, parentibus regii generis Gutterrio, et Ilduara, qualis esset futurus, ejus conceptio satis ostendit. Multis enim ac largis in pauperes eleemosynis, orationibus, et lacrymis cum vacaret Il-

duara, ab Angelo pramonita est, se concepturam filium, qui et apud Deum magni futurus esset meriti, et apud homines præcipuo sanctitatis nomine. Pridiè igitur solemnitatis sanctorum martyrum Facundi et Primitivi, Rudesindum peperit, qui dies propterea semper illis sacer ac festivus, quamdiu vixerunt, fuit: construxit præterea Ilduara in honorem archangeli Michaëlis ecclesiam eo loco ubi ab Angelo certior facta est se concepturam.

\*. Inveni David.

Lectio *v.*

**R**UDESINDUS itaque ab ipsa pueritia Domini legem meditans, brevi admodum in virum apostolicum crevit. Quapropter ab ecclesia Mindoniensis clero magno omnium consensu Episcopus eligitur, rege atque proceribus mirè gaudentibus: nota enim illis erat Rudesindi sanctitas, et eruditio. Præsul ergo Mindoniensis factus, multis virtutibus claruit. Splenduerè certè in Rudesindo præter cæteras doctes, profusè in pauperes eleemosynæ, ecclesiarum aut jam dirutarum, aut ruinam minantium instauratio, aut novarum constructio, atque Evangelicæ doctrinæ frequentissima prædicatio. Assumptus deinde, urgente

rege ac populo, ad regendum Iriensem Episcopatum, ubi tunc apostoli Jacobi corpus conditum erat, majore in dies fructu christiano populo præerat. Denique insigne monachorum cœnobium in propriis condidit prædiis, quæ illi amplissima et opulentissima parentum testamento contigerant. \*Posui adjutorium.

Lectio *vi.*

**N**OMEN cœnobio Cellanova, quod religione, et augusta structura etiam hodiè amplissimum est. In quo monasticam sub beati Benedicti regula vitam annos aliquot agens, migravit ad Dominum kalendis Martii, editis multis in vita et post obitum miraculis. Ejus corpus usque ad hodiernum diem in eodem cœnobio quiescit, ac magna præcipuè Gallæcorum, et Lusitanorum frequentia semper invisitur. Claruit sanctus Rudesindus anno Domini nongentesimo trigésimo, et sequentibus: quem Cælestinus Tertius, dum in minoribus esset, à terra levavit; deinde Pontifex factus, in sanctorum catalogum retulit, anno salutis millesimo centesimo nonagesimo sexto.

\*. Iste est.

In *iii. Nocturno, Homilia in Euang. Sint Iurabi, de Communi.*

**DIE III. MARTII.**  
*In festo SS. Hemetherii et*  
*Celedonii, Mart.*  
*Duplex.*  
*Omnia de Comm. plurimorum Mart. præter sequentia.*  
*In utrisque Vesperis.*  
*Hymnus.*

**S**CRIPTA sunt cælo duorum  
 Martirum vocabula,  
 Aureis quæ Christus illic  
 Annotavit litteris:  
 Sanguinis notis et idem  
 Scripta terris tradidit.  
 Pollet hoc felix per orbem.  
 Terra Ibera stemmate  
 Hic locus dignus tenendis  
 Ossibus visus Deo,  
 Qui beatorum pudicus  
 Esset hospes corporum.  
 Hic calentes hausit undas  
 Cæde tinctus duplici;  
 Illas cruore sancto,  
 Nunc arenas incolæ,  
 Confrequentant, obsecrant  
 Voce, votis, munere.  
 Nemo puras hic rogando  
 Frustra congressit preces,  
 Latus hinc tersis reversit  
 Supplicator fletibus:  
 Omne quod justum poposcit,  
 Impetratum sentiens.  
 Sempiterna sit beatæ  
 Trinitati gloria,  
 Equa Patri, Filioque,  
 Par decus Paraclito:  
 Unius Trinique nomen  
 Laudet universitas.  
 Amen.

*Oratio.*

**D**eus, qui gloriosos martyres Hemetherium, et Celedonium in tui nominis confessione roborasti; concede propitius; ut quorum corpora veneramur in terris, eorum aspectu perfruamur in cælis. Per Dominum.

*In Quadrag. Com. Per. Ad Matutinum, Hymnus.*

**F**ORTE tunc atrox, secundos  
 Israëlites posteros,  
 Ductor aula mundialis,  
 Ire ad aram iusserat.  
 Idolis litare nigris,  
 Esse Christi defugas.  
 Hic duorum cara fratrum  
 Concalescunt pectora,  
 Fida quos per omne tempus  
 Junxerat sodalitas:  
 Stant parati ferre, quidquid  
 Sors tulisset ultima.  
 Seu foret præbenda cervix  
 Ad bipennem publicam:  
 Verberum post vim crepantium,  
 Post catastas igneas:  
 Sive pardis offerendum  
 Pectus, aut leonibus.  
 Nosse Christo procreati  
 Mammone dicabimur,  
 Et Dei formam gerentes  
 Seruicium sæculo?  
 Absit, ut cælestis ignis  
 Se tenebris misceat.  
 Hæc loquentes obruuntur,  
 Mille pœnis Martyres:  
 Nexibus manus utrasque  
 Flexus involvit rigor:

Et calibus attrita colla  
 Gravibus ambit circulis.

Sempiterna sit beatæ  
 Trinitati gloria:  
 Equa Patri, Filioque,  
 Par decus Paraclito:  
 Unius Trinique nomen  
 Laudet universitas. Amen.

*In j. Nocturno, Lectio-  
 nes, Fratres, Debitores,  
 ut in Comm.*

*In secundo Nocturno.*  
*Lectio iv.*

**H**EMETHERIUS, et Celedonium fratres Legionenses, Marcelli centurionis martyris filii, aliorumque insignium martyrum, qui diversis temporibus, et locis, pro Christo passi sunt, germani fratres, postquam diu fortiterque sub romanis vexillis meruerunt, moti in Christianos sævissima persecutione: paribus votis, constantique animo semet invicem adhortantes decreverunt, relictis gentium castris, ad Christi militiam transire. Ardore itaque fidei succensi, dum alii veræ fidei cultores in tentatione deficiebant, illi ad supplicium properarunt: scientes ita animam servari, dum perditur sanguinem sacrari, dum funditur; et acceptis, non inflictiis vulneribus, christianam parari victoriam.

*A. Sancti tui.*

*Lectio v.*

**C**HRISTUM itaque palam professi, et inanium

deorum simulacra detestati: Deum verum libere prædicare cœperunt. Quare ad militum tribunal rapti; inde gravibus catenis onusti, in tenebris cotum fetidumque carcerem protrahuntur: ubi multis ærumnis macerati, cum nullis artibus sive verborum blanditiis, sive beneficiorum promissis, sæpiusve repetitis suppliciis, à sancto proposito dimoveri potuissent, variis cruciantur tormentorum generibus, quæ vel ipsum tyrannum puduit publicari. Severo quippe prohibuit edicto, gesta sacrorum virorum, sive quas passi sunt penas, si vequæ patrarunt miracula in apertum produci: etsi verò gentium versutia gloriosi agonis memoriam tentari abolerè, Christianorum nihilominus pietas studuit conservare.

*A. Verbera.*

*Lectio vi.*

**I**LLUD verò in primis memorabile, quod lata in eos capitis sententia, ubi ad supplicium locum pervenerunt, antequam lictoris ictum exciperent, suæ fidei pignora eò præmiserunt, quò mox ipsi erant perventuri. Primus annulum, secundus orarium in altum projecerunt, quæ lenis auræ obsequio splendescente auro et candente linteo, cunctis

intuentibus, ad coelos eva-  
ta sunt. Vidit hæc ipse  
carnifex, qui manum re-  
pressit hærens et stupens;  
sed demum ictum peregit,  
ne periret martyrum  
triumphus. Securi  
percussi juxta civitatem  
Calaguritanam prope tor-  
rentem Arenalis tertio no-  
nas martii, ibidem sepul-  
ti sunt. Unde postea  
translati ad ecclesiam ca-  
thedralem pridie kalendas  
septembris, eo translatio-  
nis die tamquam patroni,  
miraculis illustres, præci-  
pua coluntur veneratio-  
ne. & Tamquam.

In ij. Nocturno, Homi-  
lia in Evangelium, Cùm  
audieritis prælia, de Com.  
A. viij. Hæc est.

Lectio ix. de Homilia  
Festæ occurrentis, et de  
ea fit Comm. in Laud.  
si venerit in Quadrag.  
Ad Laudes, Hymnus.

ILLA laus occulta non est  
Nec senescit tempore :  
Missa quod sursum per  
auras

Evolarunt munera,  
Quæ viam patere cœli,  
Præmicando ostenderent.  
Illiis fidem figurans  
Nube fertur annulus;  
Hic sui dat pignus oris,  
Ut ferunt, orarium,  
Quæ superno rapta flatu  
Lucis intrant intimum.

Per poli liquentis axem  
Fulgur auri absconditur,  
Ac diu visum sequacem  
Textilis candor fugit :

Subvehuntur usque in  
astra,  
Nec videntur amplius.

Vidit hoc conventus ad-  
stantis,

Ipse vidit carnifex;  
Et manum repressit hæ-  
rens,  
Ac stupore oppaluit,  
Sed tamen peregit ictum;  
Ne periret gloria.

Hoc bonum Salvator ipse,  
Quo fruamur, præstitit,  
Martyrum cum membra  
nostro

Consecuravit oppido :  
Sospitent quæ nunc colo-  
nos,

Quos Iberus alloit.  
Semperna sit beata  
Trinitati gloria :

Æqua Patri, Filioque,  
Pardecus Paraclito :  
Unius Trinique nomen  
Laudat universitas.

Amen.  
In ij. Vesp. fit Comm.  
S. Casimiri Conf., For. in  
Quadrag., et S. Lucii Papæ  
et Marti, ut in Brev.

OFFICIUM  
Immaculatæ Conceptionis

B. Mariæ Virginis, om-  
nium Dominorum Ca-  
tholico Hispaniarum re-  
gi subjectorum Patrona  
principalis.

Quod singulis Sabbatis  
Festo Dup., vel Semid. non  
impeditis, ab omnibus  
et singulis utriusque sex-  
us Christi fidelibus, qui  
in eisdem Dominicis ad  
horas Canonicas tenen-  
tur, sub Ritu Semidupi.

(exceptis Temp., Adv.,  
Quadrag., Quat. Temp.,  
Vig. etiam sine Jejunio,  
ac illis Sabb., in quibus  
secundùm Rubricas sit  
reponendum Offic. Domi-  
nicæ, aut de Festo Dupli-  
ci, vel Semid. translato)  
recitari posse ac valere,  
Clemens Papa XIII. die  
xiv. Martii MDCCCLXVII.  
concessit, et indulsit.

Officium incipit à j.  
Vesp., et idem in ij. Vesp.  
præcedentis Festi, si fuerit  
Semid., à Capit., fit de  
Festo Concept. B. Mariæ,  
ut in die Festi viij. Dec.  
cum Commem. præc., si  
Dup., tantum fit Com.  
Festi Conceptionis.

Ad Matut., Laudes, et  
per Horas, omnia ut in  
die Festi, præter Lect.,  
quæ dicuntur ut infra  
notatur.

In j. Noct. Lectiones de  
Scriptura occurr.

MENSIBUS JANUARIO  
ET FEBRUARIO.

In ij. et iij. Nocturno, ut  
in die festi.

MENSE MARTIO.

Extra Quadagesimam.  
In secundo Nocturno.  
Homilia sancti Augustini  
Episcopi.

Serm. 10. in Serm. 16. de  
Tempore qui est 12. in  
Nat. Domini post me-  
dium.

Lectio iv.  
VERITAS de terra orta  
est, et justitia de cœ-

lo prospexit. Nam cùm  
ille de terra ortus est,  
hoc est, de carne natus  
est, qui de cœlo venit,  
et super omnes est; pro-  
cul dubio cùm ascendit  
ad Patrem, etiam justitia  
de cœlo prospexit.  
Hanc enim justitiam ver-  
bis suis ipse commendat  
in promittendo Spiritum  
sanctum. Ipse, inquit,  
arguet mundum de peccato,  
et de justitia, et de  
judicio. De peccato quidem,  
quia non crediderunt  
in me: de justitia vero,  
quia ad Patrem vado,  
et jam non videbitis me.  
Hæc est justitia, quæ de cœlo  
prospexit. A summo enim  
cœlo egressio ejus, et occur-  
sus ejus usque ad summum  
ejus.

& Equitanti meo.

Lectio v.

Næ verò quisquam con-  
temneret veritatem,  
quia de terra orta est:  
cum sicut sponsus pro-  
cessit de thalamo suo,  
id est: de utero virginali:  
et propter similitudinem  
carnis peccati nihil am-  
plius Christum, quam  
hominem crederet, cum  
dictum esset: Tanquam  
sponsus procedens de tha-  
lamo suo, exultavit ut gi-  
gas ad currendam viam,  
continò subjunctum est:  
A summo cœlo egressio  
ejus. Grande nobis myste-

rium divina majestas in Ada figura præmisit. Sicut enim Deus noster, cum primum Adam facere vellet, non ex conjunctione viri ac mulieris hominem, ut esset, effecit; sed accipiens terram, inde hominem divina quadam arte formavit: ita sine viri conjunctione Deum in virginis alvo incorporari dispensavit.

✠ Fac tibi arcam.

Lectio vij.

**E**rgo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per Mariam virginem procreari? Quoniam sicut Adam ex terra virgine figuratus est; ita et Christus ex Virgine natus agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de terra vivum hominem surgere fecit ad vitam; hic mundum Spiritus sanctus de Maria virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adam enim ibi tunc nascitur; hic renovatur, et resuscitatur in Christo. Fuit similis reparatio, quomodo fuit et hominis creatio. Denique sicut tunc in alvo terra Salvator Adæ membra composuit: sic etiam nunc in Virginis alvo Christus sua membra composuit.

✠ Fiat mihi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

**I**n illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quadam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.  
Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. c. 49. in Luc. 11.

**U**nde idem Apostolus in exordio Epistolæ suæ ad Romanos scribit: Filium Dei factum esse ex semine David secundum carnem. Paulus, inquit, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Etsi enim in quibusdam Latinis exemplaribus non legitur Factus, sed Natus ex semine David; cum Græca Factus habeant: (tundè non ad verbum, sed in sententiam transferre voluit, dicendo, Natus, Latinus interpretes) tamen Christus ex semine David esse secundum carnem, omnium librorum atque linguarum concordat auctoritas.

✠ Omnes moriemini.

Lectio vij.

**E**t nos igitur his contra Eutychem dictis extollamus vocem cum Ecclesiæ Catholica cujus hæc mulier typum gessit, extollamus et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Verè enim beata parens, quæ sicut quidam ait: Enixa est puerpera Regem, qui cælum terramque tenet per sæcula; cujus numen, et æterno complectens omnia gyro imperium sine fine manet: quæ ventre beato gaudia matris habens cum virginittatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

✠ Filius meus.

Lectio ix.

**A**t ille dixit: Quinimmò beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Pulchrè Salvator attestatio mulieris annuit: non eam tantummodo quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos: quia et eadem Dei Genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi

ministra facta est temporalis; sed inde multo beator, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna. Quæ sententia sapientes Judæorum clam percutit, qui verbum Dei non audire et custodire, sed negare et blasphemare quærebant.

Te Deum laudamus.

OFFICIUM

S. Jacobi Apostoli; Hisp.

Apostoli et Patroni.

Ex Indulto Clementis

Papæ IX. dato Romæ 25

Julii 1667 recitandum in

omnibus Hispaniæ. Regnis

sub ritu Semiduplici omnibus

feriis secundis, non impeditis festo ix.

lect., exceptis Adv.,

Quadrages., Vig., et Feria

ij. Rogat.

Omnia ut in Festo Translationis S. Jacobi, 37.

præter Orationes et Lect.

j. et ij. Noct.

Oratio.

**E**sto, Domine, plebi

tuæ sanctificator et

custos: ut beati Jacobi

Apostoli tui munita præ-

sidiis, et conversatione

tibi placeat, et securam

mente deserviat. Per Do-

minum.

In j. Nocturno, Lect.

de Scriptura occur.

MENSIBUS FEBRUARIO

ET MARTIO.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JACOBUS Zebedæi filius

Joannis Apostoli ger-

manus frater, Galilæus inter primos Apostolos vocatus cum fratre, relictis patre ac retribus, secutus est Dominum, et ambo ab ipso Jesu Boanerges, id est, tonitruii filii, sunt appellati. Is unus fuit ex tribus Apostolis, quos Salvator maxime dilexit, et testes esse voluit suæ Transfigurationis, et interesse miraculo, cum Archisynagogi filiam a mortuis excitavit, et adesse cum secessit in montem Oliveti Patrem oraturus, antequam a Judæis comprehenderetur.

Assumpsit Jesus.

Lectio v.

Post Jesu Christi ascensum in cælum, in Judæa et Samaria ejus divinitatem prædicans, plurimos ad christianam fidem perduxit. Mox in Hispaniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit, ex quorum numero septem postea Episcopi a Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. Deinde Jerosolymam reversus, cum inter alios Hierogenem magum fidei veritate imbuisset, Hierodes Agrippa Claudio Imperatore ad

regnum elatus, ut à Judæis gratiam iniret, Jacobum liberè Jesum Christum Deum confitentem, capitis condemnavit. Què cum is, qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium subeuntem vidisset, statim se et ipse Christianum esse professus est.

Potestis bibere.

Lectio vj.

Ad supplicium cum raperentur, petit ille à Jacobo veniam: quem Jacobus osculatus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque uterque est securi percussus, cum paulò antè Jacobus paralyticum sanasset. Corpus ejus postea Compostellam translatum est, ubi summa celebritate colitur, convenientibus eò religionis et voti causâ ex toto terrarum orbe peregrinis.

Assumpsit Jesus.

Hymnus ad Laudes terminatur sic:

Deo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio,  
Cum Spiritu Paraclito,  
Nunc, et omne in sæculum.  
Amen.

In ij. Vesperis; Ant. de Laud., Psalmi de Com. Apost.

MECHLINIÆ,

È TYPOGRAPHIA HANICQUIANA.

1845.

PROPRIUM

## SANCTORUM MEXICANORUM.

PARS HIEMALIS.

Dies  
mensis.

DECEMBER.

- j. Eligii, episc. et conf. **Duplex.**  
xj. B. V. MARIE DE GUADALUPE. **Duplex prima classis cum Octava.**  
xix. Octava B. M. V. de Guadalupe. **Duplex.**  
xxxj. Hilarie, marty. **Duplex.**

JANUARIUS.

- Dom. iii. post Epiphani. Festum B. V. Mariæ de Bethlehem. **Duplex majus.**  
xxx. Sebastiani Valfrè, conf. **Duplex.**

FEBRUARIUS.

- ij. Blasii, episc. et mart. **Duplex majus.**  
v. Philippi à Jesu, marty. MEXIC. **Duplex classis.**  
xij. Catharinæ de Ricciis, virg. **Duplex.**  
xiv. Gelasii mart. **Duplex.**  
FERIA VI. post cineres. Festum quinque Plagarum Domini nostri Jesu Christi. **Duplex majus.**  
xxj. Angelæ Mericæ, virg. **Duplex.**  
xxij. Margaritæ de Cortona. **Duplex.**  
xxvij. Emigdii, episc. et conf. **Duplex.**

MARTIUS.

- vj. Coletæ, virg. **Duplex.**  
ix. Catharinæ Bononiensis, virg. **Duplex.**  
FERIA VI. ante festum S. Joseph. Festum Coronæ D. N. Jesu Christi. **Duplex majus.**

HIEM. MEXIC.

L

## SANCTORUM MEXICANORUM.

## PARS HIEMALIS.

DIE I. DECEMBRIS.

**S. Eligii, Conf. et Episc. Noviomensis.**

Duplex.

**Omnia de Communi Conf. Pontificis, præter ea quæ sequuntur.**

Oratio.

**T**RIBUE nobis, quæsumus Domine, singularem sancti Eligii Confessoris tui atque Pontificis, charitatem imitari, ut illius merita in spiritu et veritate celebremus. Per Dominum nostrum.

**In j. Nocturno, Lectio- nes de Scriptura occurrunt.**

**In secundo Nocturno.**

**Lectio iv.**

**E**LIUS Lemovicæ a catholicis, piisque parentibus religiose educatus, auri laborandi artem adolescens didicit. Manuum labores cum pietatis operibus mire conjungens, quidquid temporis a labore supererat, in divinis frequentandis Officiis, in sacrorum Librorum audienda lectione, inque ea attento animo re-

colenda insumebat. Etate autem, ac sanctorum scientia proficiens christianas virtutes impensius excoluit: suum enim corpus oratione et jejuniis in mentis servitute rededit, seque totum redimens captivis, detentis carcere solandis, et ege- norum sublevandâ inopiâ dedit. Hinc tantus ad eum pauperum concursus, ut quærenti domum Eligii diceretur: ubi pauperum cætum conspexeris, illic et Eligium reperies. Harum virtutum præstantia Francorum regibus Clotario, ejusque filio Dagoberto apprime charus fuit, quorum tamen gratia, vel ut indigentes juvaret, vel ut divinam promoveret gloriam solummodo utebatur.

**In tertiâ Nocturno.**

**Lectio v.**

**Lectio v.**

**A**d Armoricoorum regem pacis componendâ causa missus a Dagoberto, reges ambos felici



sœdere sociavit. Regali ejusdem Dagoberti munificentiâ adjutus Solemniacense in Lemovicibus cœnobium condidit, Parisiis tercentum puellarum ascerterium, aliudque postea Noviomi erexit, exactam in singulis constituens vivendi disciplinam, cujus fervor, ne unquam tepesceret, exemplo juxta studuit et verbo. Plurima diversis temporibus auro, argento, gemmis ornavit sepulchra Sanctorum, et mausolei inprimis martyris Dionisii miro artificio decoravit. De Ecclesiæ disciplina sollicitus simoniacam labem, quæ altas in Gallia radices egerat, junctis cum Audœno studiis extirpavit; effectique cum eo, ne quis deinceps episcopus eligeretur, nisi qui integritate morum cæteris præfulgeret.

¶ Posui adjutorium.

*Lectio vi.*

**T**AMQUAM Aaron ad cleri honorem vocatus, etsi pro singulari sua animi demissione renuens; saceris tamen initiatur, atque Noviomensis præficietur Ecclesiæ. Quo in munere omnes perfecti præsulis partes fideliter adimplevit. Nam commissas sibi Christi oves in omni scientiâ ac doctrina erudire, atque in omni patientiâ redarguere numquã ces-

savit. Inopum gregem quotidie pavit, solitus etiam illorum sordes eluere. Orthodoxæ veritatis hostes pervigili cura detexit, illorumque nefarios conatus elusit. Idololâtras, non qui suam modo incolebant diocesim, sed etiã alios quam plurimos ad veri Dei cognitionem et cultum adduxit, atque eorum fana subvertit. Cabilonensi interfuit synodo anno a Virginis partu sexcentesimo quinquagesimo circiter celebratæ. Demum prophetiâ dono clarus, miraculorum fama insignis, septuagenarius placcide obdormivit in Domino, ejusque corpus summa fidelium veneratione conditum est in sepulchro. quod Deus miraculis gloriosum reddidit.

¶ Iste est qui.

*In tertio Nocturno.*

*Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.*

*Lectio vij. Cap. 28.*

**I**n illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Homo peregre proficiscens. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

*Homilia in Evang.*

**N**ULLUS piger ab hac talenti acceptione securus est. Nullus namque est, qui veraciter dicat :

Talentum minime accepit; non est, unde rationes tantum quippe ab unoponere cogar. Talenti enim nomine, cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam; prædicationis ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit; erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem, qua pascitur; ipsa ars ei in talenti acceptione reputatur. Alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profecto familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.

¶ Amavit eum.

*Lectio viii.*

**H**ABENS ergo intellectû, curet omnino ne taceat : habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericordiâ largitate parcescat : habens artem qua regitur, magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiat : habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si cum valet, non apud eum

pro pauperibus intercedit: tantum quippe ab unoponere nostrum venturus judex exigit, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui rationibus, redeunte Domino, quisque securus sit; cum tremore penset quotidie quid accepit. Ecce namque jam juxta est, ut ille qui peregre profectus est, redeat : quasi quippe peregre abiit, qui de hac terra, in qua natus est, longe discessit; sed profecto revertitur, ut de talentis rationes ponat, quia si a bona actione torpescimus, de ipsis donis que contulit, nos districtius judicat.

¶ Sint lumbi.

*Lectio ix.*

**C**ONSIDEREMUS ergo quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spirituali opere terrena cura impediatur, ne, si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger etenim servus, cum jam culpas judex examinat, talentum de terra levat : quia sunt perique, qui tunc se a terrenis desideriis vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem judicis ad æternum supplicium trahuntur. Ante ergo de talenti nostri ponnenda ratione vigilemus,

ut cum jam iudex ad feriendum imminet, lucrū nos quod fecimus excuset.

Te Deum laudamus.  
DIE XII. DECEMBRIS.

Officium beate Mariæ Virginis de Guadalupe, Mexicanæ primariæ patronæ.

Duplex j. Classis cum Oct.

Ad Vesperas omnia ut in Festis B. Mariæ præter sequentia.

✠ Dignare me laudare te, Virgo sacrata. ✠ Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, An̄.

Elegi et sanctificavi locum istum, ut sit ibi nomen meum, et permaneat oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.

Oratio.

**D**EUS, qui sub beatissimæ Virginis Mariæ singulari patrocinio constitutus perpetuis beneficiis nos cumulari voluisti: præsta supplicibus tuis; ut cujus hodie commemoratione lætamur in terris, ejus conspectu perfruamur in cælis. Per Dominum.

Ad Matutinum, Invi. Sancta Maria, Dei genitrix Virgo, ✠ Intercede pro nobis. Psal. Venite, exultemus.

Hymnus, An̄, Psalmi et xv. ut in Officio parvo B. M.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Ecclesiastici. Ego ex ore Altissimi, ut in Breviario Rom. die viij. Decembris.

q. j. Vidi speciosam sicut columbam ascendente desuper rivos aquarum: cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: ✠ Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. ✠ Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgo sumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? Et.

q. ij. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, ✠ Terribilis ut castrorum acies ordinata. ✠ Filia Sion, tota formosa, et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

q. iij. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? ✠ Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginam laudarunt eam. ✠ Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

In secundo Nocturno. Sermo S. Bernardi Abbat. De verbis Apoc. cap. 12. Lectio iv.

**F**IDELIS plane et præpotens mediator Dei et hominum homo Christus

Jesus. Nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa; invenitur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile. Quod si (ut vere sunt) plena omnia pietatis et gratiæ, plena mansuetudinis, et misericordiæ quæ ad eam pertinent inveneris: age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissimam miseratione providit. Omnibus omnia facta est, omnibus misericordiæ simul aperit ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, æger curationem, tristes consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiæ; denique tota Trinitas gloriam.

✠ Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, ✠ Et in capite ejus corona duodecim stellarum. ✠ Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Et in capite.

Lectio v. **N**IMIRUM ea est, quæ velut alterum solem in-

duit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam et defectus omnis sub ea: et quidquid fragilitatis seu corruptiōnis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub ejus pedibus luna esse dicatur. Amplectamur Mariæ vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatissimi illius pedibus involvamus: captivus redemptionem, æger curationem, tristes consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiæ; denique tota Trinitas gloriam. ✠ Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, ✠ Et in capite ejus corona duodecim stellarum. ✠ Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Et in capite.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens: \* Pulchra ut luna, electa ut sol. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis. Pulchra.

**Lectio vi.**

**I**n capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarior micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni, circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. In ea fere specie anno millesimo quingentesimo trigesimo primo mirabiliter picta Deparæ imago Mexici apparuisse fertur, quæ inibi loci prope urbem, ubi pio Neophyto ædem sibi sacram prodigio dicitur designasse, magnifico excepta templo, ingenti colitur populorum, ac miraculorum frequentia. Quam propterea uti præsentissimum adversus publicas privatasque calamitates præsidium, Archiepiscopus Me-

xicanus, et reliqui etiam illarum partium Antistites, omnium ordinum consensione, in primariam adlegit novæ Hispaniæ patronam, riteque electam Benedictus XIV, auctoritate apostolica declaravit, atque officium proprium, et Missam sub titulo beatæ virginis Mariæ Guadalupensis recitari concessit.

Æ. Elegi, et sanctificavi locum istum: \* Ut sit ibi nomen meum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus. Non fecit taliter nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Ut sit ibi. Gloria Patri. Ut sit.

**In tertio Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio vij. Cap. 1. d.**

**I**n illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

De verb. Apocalyps. c. 12. circa fin.

**M**IRABATUR Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis, adjiciens: Ut facta est

vox salutationis tuæ in auribus meis; exultavit in gaudio infans in utero meo: et beatificabat fidem credentis: Beata, inquit, quæ credidisti. Magna quidem præconia: sed et devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur.

Æ. Felix namque es sacra virgo Maria, et omni laude dignissima: \* Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem. Quia ex te ortus.

**Lectio viij.**

**T**u, inquit, magnificas matrem Domini, sed magnificas anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: et ipse quoque tamquam amicum sponsi gaudet ad vocem sponsi: Beatam esse dicis, quæ credidit: sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis; ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et ex-

guam respexit Deus. Verumtamen numquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo quod per spiritum utique loquebatur errasse? Absit. Beata planequam respexit Deus, et beata quæ credidit. Hic enim magnus divinus respectiois exitus fructus.

Æ. Beatam me dicent omnes generationes: \* Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria Patri. Quia.

**Lectio ix.**

**I**NEFFABILI siquidem officio Spiritus superveniens tanta humilitati magnanimitas tanta, in secretario virginis cordis accessit, ut quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimitas; ut quæ nihil aliud, quam exiguam sese reputabat ancillam, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitare electam, et veram Dei et hominis Genitricem crederet mox futuram. Jam te, mater mi omnes generationes, quia sincerissimæ tuæ mentis

affectum tuis jacens pro-  
voluta pedibus luna, me-  
diatricem sibi apud solem  
justitiam constitutam, de-  
votis supplicationibus in-  
terpellat, ut in lumine  
tuo videat lumen, et solis  
gratiam tuo mereatur ob-  
tentu, quam vere amavit  
præ omnibus, et ornavit  
stola gloriæ induens, et  
coronam pulchritudinis  
ponens in capite tuo.

Te Deum laudamus.

**Ad Laudes et per Ho-  
ras, omnia ut in Festis  
B. M. præter sequentia.**

Diffusa est gratia in  
labiis tuis. Propterea  
benedixit te Deus in æter-  
num.

**Ad Benedictus, Añã.**

Non fecit taliter omni-  
nationi, et judicia sua  
non manifestavit eis.

**Oratio ut supra in Vesp.**

In sequendis Vesperis,  
omnia ut in primis.

**Ad Magnificat, Añã.**

Leva in circuitu oculos  
tuos et vide. Omnes isti  
congregati sunt, vene-  
runt tibi: filii tui de longe  
venient, et filia tuæ de  
latere surgent.

**Oratio ut supra.**

**DIE XIX. DECEMBRIS.**

**In Octava B. V. Mariæ de  
Guadalupe Mexicane.**

**Duplex.**

**Omnia ut in Festo, ex-  
ceptis Lectionibus.**

**In primo Nocturno.**  
**De Canticis Canticorum.**  
**LECTIO I. Cap. 2.**

**L**ego flos campi, et lilium  
convallium. Sicut li-  
lum inter spinas, sic  
amica mea inter filias.  
Sicut malus inter ligna  
silvarum, sic dilectus  
meus inter filios. Sub um-  
bra illius, quem deside-  
raveram, sedi: et fructus  
ejus dulcis gutturi meo.  
Introduxit me in cellam  
vinariam, ordinavit in me  
charitatem. Fulcite me  
floribus, stipate me ma-  
lis: quia amore langueo.  
Lava ejus sub capite  
meo, et dextera illius am-  
plexabitur me. Adju-  
ro vos, filia Jerusalem, per  
capreas cervosque cam-  
porum, ne suscitetis, ne-  
que evigilare faciatis dilec-  
talem, quoadusque ipsa  
velit.

**¶ Vidi speciosam.**

**LECTIO II.**

**V**ox dilecti mei, ecce  
iste venit saliens col-  
les: similis est dilectus  
meus caprea, hinnuloque  
cervorum. En ipse stat  
post parietem nostrum,  
respicens per cancellos.  
En dilectus meus loquitur  
michi: Surge, pro-  
pera, amica mea, colum-  
ba mea, formosa mea, et  
veni. Jam enim hiems  
transiit, imber abiit, et  
recessit. Flores apparue-  
runt in terra nostra, tem-

pus putationis advenit:  
vox turturis audita est in  
terra nostra: ficus protu-  
lit grossos suos: vineæ  
florentes dederunt odo-  
rem suum.

**¶ Quæ est ista.**

**LECTIO III.**

**S**urge, amica mea, spe-  
ciosa mea, et veni:  
columba mea in foram-  
nibus petrae, in caverna  
maceriae, ostende mihi  
faciem tuam; sonet vox  
tua in auribus meis: vox  
enim tua dulcis, et facies  
tua decora. Capite nobis  
vulpes parvulas, quæ de-  
moliuntur vineas: nam  
vineæ nostra floruit. Dile-  
ctus meus mihi, et ego  
illi, qui pascitur inter li-  
lia donec aspiret dies, et  
inclinentur umbræ. Re-  
vertere: similis esto, dile-  
cte mi, caprea, hinnu-  
loque cervorum super  
montes Bethel.

**¶ Quæ est ista.**

**In secundo Nocturno.**  
**Sermo sancti Cyrilli Episcopi  
Alexandrinii.**

**Homil. contra Nestorium.**

**LECTIO IV.**

**H**ilarem video cœtum  
sanctorum omnium,  
qui convenerunt promptis  
animis, a sancta et Dei  
Matre Maria semper Vir-  
gine convocati. Laus et  
gloria sit tibi, sancta Tri-  
nitas, quæ omnes nos ad  
hanc celebritatem convo-  
casti. Sit etiam tibi, san-  
cta Dei Mater, laus. Tu

enim es pretiosa marga-  
rita orbis terrarum: tu  
lampas inextinguibilis,  
corona virginitatis, sce-  
ptrum orthodoxæ fidei,  
templum indissolubile,  
continens eum qui nus-  
quam contineri potest,  
mater et virgo, per quam  
benedictus, qui venit in  
nomine Domini, in sanctis  
Evangelii nominatur.

**¶ Signum magnum.**

**LECTIO V.**

**P**er te Trinitas sanctifi-  
catur, per te crux pre-  
tiosa celebratur, et adora-  
tur in toto orbis terrarum.  
Per te exultat cœlum,  
 lætantur angeli et archan-  
geli, fugantur dæmones,  
et homo ipse ad cœlum  
revocatur. Per te omnis  
creatura idolorum errore  
detenta, conversa est ad  
agnitionem veritatis, et  
fideles homines ad sanc-  
tum baptismum pervene-  
runt, atque in toto orbis  
terrarum constructæ sunt  
ecclesie.

**¶ Quæ est ista.**

**LECTIO VI.**

**T**e adjutrice gentes ve-  
niunt ad pœnitentiam.  
Quid plura? Per te uni-  
genitus Dei Filius, vera  
illa lux effulsit sedentibus  
in tenebris, et umbra  
mortis: per te propheta  
præannuntiavit, per te  
apostoli salutem gentibus  
predicaverunt. Quisnam po-  
terit tuarum laudum præ-  
conia explicare, Maria

mater, et virgo? Hanc, fratres dilectissimi, celebremus, ejus Filium Ecclesiam sponsum immaculatam adorantes: cui honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

¶ Elegi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

In illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariæ et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

VERUM audiamus verba quæ Virgo dixit, si forte ex his valeamus aliquantulum dignoscere, quid intus habuerit. Audita ergo responsione Elisabeth, quæ eam beatam inter mulieres prædicavit, Matrem Domini sui cognominavit, fide fortem laudavit, ad cuius ingressum se ipsam cum filio Spiritu sancto repletam esse signavit; non amplius tacere potuit dona quæ perceperat, sed quæ semper animo gerebat, ubi aptum tempus invenit, etiam devota oris professione patefecit.

¶ Felix namque.

Lectio viij.

NAMQUE, ut virginalem decebat pudorem, acceptum divinitus oracu-

lum aliquandiu silentio tegebatur; arcanum mysterii cælestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum; expectabat reverenter, donec ipse donorum distributor, quid sibi domi specialis tribuisset, quid secreti revelasset, quodcumque vellet, ostenderet. At postquam eadem quæ sibi erant charismata præstita, per alios Spiritu revelante esse patefacta cernebat, mox ipsa etiam thesaurum cœli, quem in corde servabat, aperuit. Ait ergo: Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

¶ Beatam me.

Lectio ix.

QUIBUS profecto verbis primo dona sibi specialiter concessa confitentur: deinde generalia Dei beneficia, quibus generi humano in æternum consulere non desistit, enumerat: quæ cum omnibus perfectis verba recte conveniant, maxime tamen ea beatam Dei genitricem proferre decebat, quæ meriti privilegio singularis spirituali ipsius dilectione flagrabat, cuius corporali conceptione gaudebat. Quæ sequentibus quoque verbis, quam vilia de se ipsa senserit, docet, et quod omne quidquid boni meriti habuit, hoc superna gratia largiente per-

ceperit, dicens: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Te Deum laudamus.

DIE XXXI. DECEMBERIS.

S. Hilariæ Martyris, Cujus corpus asservatur in metropolitana Ecclesia Mexicana.

Duplex.

Omnia de Communi Martyr, non Virgin. ordine sequenti.

Oratio. Deus, qui inter cætera potentia tuæ miracula.

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente. In ij. Nocturno, Lectiones, Ego maxime, de Communi ij. loco.

In iij. Nocturno, Homilia in Evangelium, simile est regnum cælorum thesaurorum, de Communi.

Commemoratio Octavarum in Laudibus.

DOMINICA III. EPIPH. Festum B. V. Mariæ de

Bethlehem.

Dummodo illa non incidat in Dominicam Septagesimæ, vel Sexagesimæ.

Duplex majus.

Ad Vesperas, Añ.

Ascendit Joseph a Galilæa, de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria. Ps. Dixit Dominus, cum reliquis ut in Festis B. Mariæ. Añ. Completi sunt dies

Mariæ, ut pareret Filium suum primogenitum, et panis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio. Añ. Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Añ. Et venerunt festinates: et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Añ. Maria autem conservabat omnia verba hæc, confers in corde suo.

Capitulum Eccl. 24.

Ego quasi vitis fructifera cavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris, et honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctæ spei.

Hymn. Ave maris stella.

Post partum, Virgo, inviolata permansisti. Dei genitrix, intercede pro nobis.

Ad Magnificat, Añ.

O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.

Oratio ut infra ad Laud.

Commemor. Dominica.

Ad Completorium, et alias Horas, in fine Hymnorum dicitur: Jesu, tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.

**Ad Matutinum, Invitatio.**  
 Sancta Maria, Dei Genitrix, Virgo, Intercede pro nobis. *Psal.* Venite, exultemus.

*Hymn.* Quem terra, in primo Nocturno.

*Ant.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. *Psal.* Nocturnorum ut in Festo B. Mariæ. *Ant.* Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei Genitrix. *Ant.* Benedicta, filia, tu a Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

*Ps.* Specie tua, et pulchritudinetua. *Intende,* prospere procede, et regna.

De Canticis Canticorum.

*Lectio j. Cap. 2.*

**E**go flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Lava ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea,

et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra; ficus protulit grossos suos: vineę florentes dederunt odorem suum.

*Ps.* O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent portare Dominum natum, jacentem in præsepio! Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Beata.

*Lectio ij. Cant.*

**S**urge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceræ: ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliantur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiravit dies, et inclinentur umbræ. Revertere, similis esto, dilecte mi, caprea, hinnuloque cervorum super montes Bethæ. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoad-

usque ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumæ aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii?

*R.* Confirmatum est cor Virginis in quo divina mysteria, angelo nuntiantes, concepit; tunc speciosam forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit, et hominem. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit filium. Et.

*Lectio iij.*

**E**n lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum; media charitate constravit propter filias Jerusalem. Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum,

absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascentur in liliis.

*R.* Benedicta, et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa est Mater Salvatoris: Jacebat in præsepio, et fulgebat in celo. Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi, in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria Patri. Jacebat.

*In secundo Nocturno.*

*Ant.* Speciosa facta es, et suaviss in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix. *Ant.* Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. *Ant.* Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.

*Ps.* Adjuvabit eam Deus vultu suo. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Sermo S. Leonis Papæ. *Serm. prim. de Nativitate Domini.*

*Lectio iij.*

**V**irgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fetu, divinam, humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore: et